





- 1 Baumgarthen s: Sigism: Juc: / meditatio-  
nes guardam de genuina et spuria  
edificatione spirituali Medijps illius  
legitimis et illegitimis, Halle 1747.
- 2 Brunings s: Christ: diff: De Christo  
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloppen s: diei, sigism: diff: De opere  
Dei mirabilioro Gratijs et Glorioso  
in sanctis rediuvir demonstratu,
- 4 Clauswitz s: Bened: Gottl: diff: de  
spiritu sancto arrahabone, Halle, 1747.

36

SUPERFLUA ET NOXIA  
FORMÆ DOCENDI  
*DE*  
**LEGE ET EVANGELIO**  
IN ECCLESIIS NOSTRIS  
USITATÆ MUTATIO,

---

*QUAM*  
DIVINA ADIUTRICE GRATIA,  
PRÆSIDE  
**CHRISTIANO EBERHARDO**  
**WEISMANNO,**

SS. THEOL. DOCT. ET PROFESS. P. O. ECCLES.  
TUBING. DECANO, ET DUCALIS SEMINARII  
THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,  
*AD DIEM NOVEMBR. MDCCXLVI.*

*h. Ique destinatis*  
PUBLICÉ EXAMINABIT  
**M. CHRISTIANUS LUDOVIC. STEINHEIL,**  
Rupisvilla - Rochspoleanus.  
SS. THEOL. STUD. IN ILLUST. STIP. THEOL.

---

*TUBINGÆ*  
Excudebat JOHANNES PHILIPPUS ERHARDUS.






§. I.

Q

uænam Ecclesiarum nostrarum forma dœcendi de lege & Evangelio hucusque fuerit? neminem facile latere potest, nisi qui purus putet esse *av�διδαχος*, ac doctrinæ publicæ prorsus expers. Lutherum nostrum Theologiae Scripturariæ peritiam inde quoque solitum esse metiri, si quis legem & Evangelium recte distingue, atque a varia illius confusione sibi cavere sciat, ex illius Actis scriptisque obvium & manifestum est. Libri nostri Symbolici, cum contra Pontificios, tum adversus Antinomos sui temporis, accurate docendum censuerunt quam maxime, licet una & altera formulæ loquendi intercurrerit, quæ modo hoc, modo illo, sensu postea fuit exposita. Omnes Loci communes, & Systemata quævis, ut vel ex ipsa inspectione patet, in hac doctrina consentiant. Semper male audiverunt, qui in hac doctrina vel errarunt revera, vel visi sunt errare, & censuram ceterorum acriorem subinde experti sunt. Ipsi illi Theologi antiquiores, quibus nonnunquam aliquid simile exciderat, conspecto abuso suorum dictorum ad huiusmodi sensus, quos nunquam intenderunt, re omni accuratius considerata, & prudentius postea senserunt, & purius perfec-

A 2

ctius.



Atiusque locuti sunt. Etiam recentiores illæ controversiae, quæ Ecclesiæ quoque nostræ Theologos plus simplici vice distracterunt, testari possunt, quam sollicite illi cavere voluerint, ne legis & Evangelii natura & officium in docendo turbaretur, quod ipsum vero abs se fieri pars altera & dissentiens nunquam agnovit. Unde constat, in media illa disputatione accessoria, circa principia huius doctrinae omnes Ecclesiæ nostræ Theologos fuisse concordes. Mirum igitur videri possit, nostra ætate, & quidem cum Zelo, nec sine specie triumphi, mutari passim hanc de *lege* & *Evangelio* formam docendi in Ecclesiis nostris hucusque usitatum, ac odio sis insuper suspicionibus & conviciis prægravari, ab iis quoque, qui selectissima Societatis nostræ membra, & patroni certissimi, videri volunt. Quid enim hoc rei est, quando summa cum fiducia a QQ. Recentioribus, totidem ut plurimum verbis, docetur: *Se implacabile odium & contentum fovere contra methodum precipendi & prohibendi: contra cum summa plerophoria per solam concionem de cruce Christi in cor peccatoris se penetrare velle: Methodum legis in casibus ad salutem & interna animi perimentibus apud Christianos ex gentibus damnosam, ino venenata damnosam esse: methodum legalem Lutheranorum esse methodum absurdam: Si quis non sit in gratia, ei legem nihil prodebet: Si vero sit in gratia, eum lege opus non habere: peccatores immediate ad Christum & Evangelium adducendos: Qui fecit faciant, eos esse servos Moysi, novos Galatas, captatoresque gryllorum, & acropolim Evangelicæ religionis, etiam præter opinionem, subruere: Legem moralēm esse in N. T. abrogatam: Solum Evangelium longe adhuc felicius & efficacius praestare omnia, quæ legi alias tribuumur; aliaque id genus plura, quæ deinceps quoque occurrit in obiectionibus Dissidentium. Quisquis huiusmodi principia Evangelica & Lutherana audet nominare, æs triplex circa peccatum habet: quisquis autem tot conviciis onerat nostrarum Ecclesiârum doctrinam & praxin in hac materia, satis superque ostendit, se de earum consensu & applausu parum esse sollicitum, iisque etiam invitîs in sua ανθεστη της Φειδωνης γνωστας constanter esse perrecturum. Cum vero a nobis quoque gravissimæ huius causæ examen fuerit novissime requisitum, ipseque etiam Cl. Dn. Respondens id pensum nostro calamo tractari desideraverit nuperrime, nihil sane obstat, quo minus libere cordateque, ac modeste simul, in præsenti hac Dissertatione aperiamus, quid nobis cum*



5

cum de soliditate communis sententia nostrarum Ecclesiarum,  
& rationum illius probantium, tum de valore & robore Syste-  
matis novi & contrarii, videatur, ut nostri auditores, lectoresque  
etiam alii, habeant in compendio ante oculos momenta cause,  
atque eo facilius maturum de iisdem ferre queant iudicium. Non  
defecerunt quidem haec tenus *Viri docti*, qui varia occasione, &  
cum iudicio, versati sunt in ponderando hoc doctrinæ genere,  
atque omnino in libris suis nemini ignotis legi cum cura meren-  
tur: Nos vero instituto nostro Academico pariter inhærentes ea  
præstare hoc loco conabimur, que ab aliis bene dicta amplificent,  
confermentque maxime, quod in *título* iam diximus, *mutationem*  
*formæ docendi de lege & Evangelio in Ecclesiis nostris usitatæ omnino*  
*esse superfluam.*

## §. 2.

Quia negari non potest, etiam *hoc loco* plurimum momenti esse  
in removendis ambiguitatibus, & recte posito statu controversiæ,  
ante omnia utique curandum est, ut præscindantur, quantum fieri  
potest, occasions vitilitigandi, vitentur sophismata, distincta tra-  
ctentur distincte, & figantur meditationes necessaria in eo scopo,  
cuius gratia tota inquisitio huius causa instituitur. Quodsi in  
ipsis *S. literis* lex dicitur in significatione *doctrinæ* generali, per se  
clarum est, eam huc nequaquam pertinere: hoc enim sensu omne  
Verbum Dei, sive legale, sive Evangelicum, *doctrina* est, quod  
urius nemo negat. Solemnis etiam & usitata legis Mosaica in  
*moralement*, *ritualem*, & *forensem* divisio quæstiōni nostra præsenti ne-  
cessaria non est, unde illi manifeste a vero sensu & statu contro-  
versiæ recedunt, qui eos Scripturæ textus ad hanc materiam illu-  
strandam allegant, quos non de *prima*, sed de *secunda* & *tertia*  
classe docere, extra omnem controversiam possum est. Porro cum  
in ipso *Decalogo*, & lege morali a Mose tradita, aliqua admixta  
sint, quæ Judaico populo erant propria, salva tamen generali ob-  
ligatione quoad substantiam præceptorum divinorum, etiam ista  
a nostra quæstiōne separanda sunt, ne ex accessoriis illis præaudi-  
cium creetur essentialibus & necessariis. Eo minus necesse est  
hic aliquid movere, quo certius est, omnes in hoc *doctrinæ* arti-  
culo consentire. Removemus etiam usum legis, moralis quoque,  
*politicum* & *civilem*, qui quidem certus est, sed, quia ad curiam

populi

A 3

&amp; po-



& politiam pertinet, nostrum haud ferit scopum, imo, si nimis prematur attendaturque hoc loco, uti nonnunquam fieri solet, inutilem & supervacuum excitat controversiam. Non est amplius moris disputare, quod lex ad Curiam & forum, tanquam ad locum suum, ableganda sit, removenda autem a suggestu & foro conscientia. Qui hoc vellent, crassas & alienas sibi fingerent ideas de lege, & Tegis usu, quæ, etiam sine longa probatione contrarii, neminem facile movere debent, & extra rhombum provocare. Nolim quoque huc referre liticulam illam antiquiorem de acceptione vocis *Evangelii* generali & speciali, prout vel totam doctrinam legis & Evangelii complectitur, vel specialissime pro præconio gratiaræ & promissionum diuinarum, sive beneficiorum redemptio- nis accipitur. Neque enim per hanc formam docendi aut loquendi mutata est doctrina ipsa, omnibus, ea acceptione non obstante, discrimen necessarium legis & *Evangelii*, ac usum utriusque ordinarij, retinentibus. Hinc æquum non est, *LL. Symbolicis*, & quibusdam eorum phrasibus abuti ad rem, de qua earum Autores ne cogitarunt quidem. Neque illud temere credendum, quod pari passu ambulent, qui una ex parte in certis casibus distinguunt inter præcepta & motiva Evangelica, item admittunt legem *Evangelio illustratam*, vel, ut alii malunt Theologi, leges circa *Evangelium* ab *Evangelio* distinctas: atque illi, qui, abrogata lege, eiusque usu apud malos & bonos, solum in negotio conversionis & directio- nis servant *Evangelium*: sunt enim hæc principia longe distin- gitissima. Neque ita concipienda est communis doctrina de lege & *Evangelio*, ac si legem & *Evangelium* immanibus a se invicem seiungeret intervallis, simultaneam utriusque operationem pro capacitatem subiectorum negaret, legem sine *Evangelio* ad spiritua- les effectus solam sufficere statueret, ex quibus male & sinistre acceptis multi in hac controversia paralogismi nasci solent. Esset & hæc inepta confusio, si quis duas has questiones pro una eadem que haberet: an lex & *Evangelium* a Christianis quoque retineri & coniungi debeant, in distinctis licet usibus? & an lex & opera legis ad iustificationem & salutem hominis peccatoris merito & virtute sua aliquid conferant? & propter questionem hanc poste- riorem priorem quoque vellet negare: Toto enim coelo hæc duas questiones differunt, nisi affectate quis eas commisceat. Putem quoque,

quoque, valde differre *Oeconomiam Mosaiam*, legem, quatenus ali-  
 quid *particulare* habet ex *Oeconomia Mosaiica*, & legem moralem  
*in se consideratam*, uti eam Theologi hoc loco accipiunt: neque  
 hac in causa, uti confuse nonnunquam fieri solet, eo usque ex-  
 tendendam V. & N. T. differentiam, ut *la* Evangelicum & legale  
 priscorum fidelium in V. T. ab eodem statu in N. T. in substantiali-  
 bus nimis distinguantur, si vel prætextu honoris N. T. & Christi  
 Domini id fieret. Neque hic prorsus idem esse censendum fœ-  
 dus gratiæ cum Evangelio, illud enim præter fidem in Christum  
 officia quoque fœderatorum in se continet, cum hoc sit pars illius,  
 præcipua quidem, sed non unica. Nec minus illos casus distin-  
 guimus, nec pari loco habemus, num quis proxime incidat in  
 promissiones Evangelicas sibi cum emphasi propositas, postquam  
 prius per legem eiusque officium aliunde præparatus est? quod  
 ipsum saepe accidit: & num quis immediate per purum putum  
 Evangelium, sine ullo uisu & efficacia legis præcedente, conver-  
 tur & ad veram pœnitentiam in omni suo ambitu adducatur?  
 In priore casu mirum non est, huiusmodi animabus comode & salu-  
 briter interveniente Evangelium, ut falsum sit, legem antea ipsis suis  
 se inutilem, & impedivisse potius opus Domini, quam promovisse,  
 nisi ipsis per accidentem in causa fuerint. Posterior vero casus proprius ad  
 nostram accedit controversiam, & quam maxime in dubitationem  
 adducitur, ut postea videbimus. His aliquis similibus observationi-  
 bus promoveri potest ac debet genuinus controversiae status, qualis  
 inter nos & dissentientes in materia de lege & Evangelio intercedit.  
 Summa igitur quæstionis, quæ amplissimum habet sensum, huc  
 redit: An sub N. T. atque a tempore exaltationis Dominicæ, ex-  
 cepto usu politico & civili in administratione rerum externarum,  
 nullus iam usus sit legis moralis in peccatoribus ad Evangelium  
 præparandis, in fidelibus vero, sive per generalia, sive per specia-  
 lia, præcepta in cognitione & praxi officiorum suorum instituen-  
 dis, iuvandisque? vel: an sub N. T. hæc omnia sine lege solum  
 immediate præstet Evangelium, ideoque etiam solum in his  
 omnibus sit adhibendum? illi vero, qui contrario ordine in con-  
 vertendis docendisque hominibus utuntur, methodum legalem  
 absurdam usurpent, male doceant ducantque animas, imo fidei Evan-  
 gelica acropolim periculose subruant? Utramque quæstionem affir-  
 mant dissentientes: nostri vero negant.

§. 3.



## §. 3.

His præmissis colligemus iam Theologorum argumenta præcipua, quibus consuetam hucusque Ecclesiæ nostræ formam docendi de lege & Evangelio confirmare solent, multis quoque, ut par est, ad modernum huius controversiæ statum proprius accommodatis, ubi necesse est. 1. Supponunt ante omnia, legem moralē, prout ipsi eam hoc loco intelligunt, sive interius impressa sit menti, sive exterius tradita, sua natura esse immutabilem, dum ex sanctitate & puritate Dei morali suam habet originem & efficaciam, & similia complectitur officia, sua natura & pro fine suo nequaquam libera & indifferenta. Hac hypothesi admissa non appetat, quomodo lex moralis eo sensu, & in suis spectata essentialibus (de variis enim eius accidentibus & statibus accidentalibus nulla hic quæstio est) possit abrogari quoad vim internam obligandi & vim normativam? Ex hoc principio Nostrates Theologi multis aliis Systematibus, qua mira heic fingunt Veteris & N. T. discrimina ad exaltandam huius prærogativam & gloriam præ altero, semper contradixerunt, iis quidem adductis rationibus, quæ non immerito pro solidis habentur, & manifeste saltē ostendunt, ea, quæ sanctitati legis moralis ulla ratione adversabantur, tolerari quidem aliquandiu potuisse a Deo, sed non approbari absque præiudicio suæ sanctitatis. 2. Hoc sensu nihil vetat dicere, legem moralem in ipsa quoque æternitate esse valitaram, non eo quidem modo, qui in hac vita obtinet, sed alio, statui æternitatis haud contrario. Voluntas divina sanctissimis præceptis semel expressa & promulgata, h. e. lex sanctissima, non quidem coget, non minabitur, non damnabit, in æternum, sed, admissa cum voluptate divina illius obligatione, æternum & gloriose cum voluptate implebitur, tuncque demum arctissima perfectissimaque in beatis erit legis & Evangelii in æxun divina coniunctio. Quanto minus licebit in hac vita & imperfectione ea superiorem se existimare? 3. Non potest negari, quod lex moralis in parte sui principali sit *lex amoris & timoris*. Fundamentum hoc erat omnium aliarum legum specialium in ipsa lege Mosaica. *Deut. VI, 4. 5. Exod. XX, 6.* Agnovit hoc, & pro certo supposuit Salvator ipse in suis cum vario genere hominum colloquiis. *Marth. XIX, 19. XXII, 37. seqq. Marc. XII, 29. seqq. Luc. X, 27.* quem hac parte fecuti sunt *Apostoli. Rom. XIII, 8. 9. 10.*

Iav.



9

Jac. II, 8. Idem & natura rei continet & exigit. Quis vero dixerit, legem timoris & amoris Dei posse abrogari? E. nec ea officia, quæ ex iisdem fluunt fontibus, possunt abrogari cum sua vi obli-gandi. Neque Evangelium demum ea præcipit sine lege, sed vites potius confert & gratiam, ea in ordine divino præstandi; quæ si simul adsint, id utique est legem & Evangelium, ut par est, coniungere. 4. Huc etiam referri potest memorabilis locus i Cor. IX, 21. ubi dicit Apostolus, se quidem *νοις ανθρωπος*, h. e. illis, qui legem externam non acceperant, sicut Iudei, i. e. gentibus, factum esse *νοις ανθρωπος*, abstinendo sc. ab observatione legis rituum apud gentiles, ut eos lucrificaret, *Deo* tamen se neque apud hos, neque apud illos, mansisse *ανθρωπος*, semper se fecisse id, quod sciebat a Deo esse mandatum, & *ανθρωπος Χριστος* mansisse. h. e. nihil fecisse, quod Evangelio I. C. & libertati, quam Iesus Christus nobis impetravit, effet contrarium. Qui hoc facit, legem & Evangelium sapienter coniungit, neque unum cum altero collidit. 5. Adducunt Theologi ipsius etiam Christi Domini verba de se ipso dicta, quod non venerit legem solvere, sed implere. Matth. V, 17. Paulo ante, versu sc. 16. dixerat suis discipulis ac auditoribus, *lucem suam splendere facerent coram hominibus, ut hi bona ipsorum videant opera, & Patrem, qui est in celis, glorificant.* Rationis loco addit deinceps, non existimandum, venisse se, ut legem solveret, *imo venisse, ut impleret*, eam sc. recte explicando, & re ipsa sanctissime præstanto, uti ex toto contextu Sermonis Domini de monte manifestum est. Post omnes illos commentarios legis, & veri illius sensus, post totam illam doctrinam legalem & Evangelicam, concludit tandem his verbis Cap. VII, 24. *Quisquis igitur audit ex me sermones istos (legales & Evangelicos) eosque præstat, eum assimilabo viro prudenti &c.* Habemus hic legem, legem distinctissimis divisam præceptis, legem ab ipso Domino discipulis suis inculcatam, legem inconversis censura, conversis cynosuræ, loco inservientem. Nihil hic excipi potest, nisi forte illud cuiquam in mentem veniat, quod tum legis tempus nondum finitum fuerit. Enimvero hæc exceptio mere præcaria est, omnique verisimilitudine destituitur. 6. existimant Theologi, nihil esse clariss illis Scripturæ dictis, quibus in Novo quoque Testamento docetur, *ex lege esse agnitionem peccati*.

B

Rom.



*Rom. III, 20.* ipso Paulo fatente, se peccatum non cognovisse, nisi per legem, nec concupiscentiam eo pertinere, nisi lex dixisset: Non concupisces. *Rom. VII, 7.* Supponitur autem hic primo, de lege morali sermonem esse, non de rituali: secundo, sententiam Apostoli esse generalem, nulla discriminis temporum ratione habita: tertio, non esse methodum per ambages pro hominibus ambages diligentibus, sed, salvis gradibus & accidentibus, ordinariam: quarto, eo tempore hæc dicta esse, quo Evangelium iam erat promulgatum, & in sua auctoritate constitutum. His vero suppositis certum est, quod non modo liceat, sed etiam oporteat incipere a lege in negotio conversionis & pœnitentiæ, neque convenire doctrinæ Apostolicae, si quis id, quod is legi tribuit, ad Evangelium referat. Si dissentientes tam claros & perspicuos textus pro se haberent, mirum non esset, quod tanta cum fiducia heic disputerent. Cur ergo non eadem, imo maior, parrhesia conceditur Nostrisibus, quibus nihil hic opponi potest, quod conscientiæ satisfaciat? De *cœlo* quidem, h.e. sententia divina, *ira revelatur in peccatores*. *Rom. I, 18.* Evangelium autem hic ab Apostolo non intelligi, tota oratio sequens demonstrat. *Absque lege*, h.e. absque revelatione peccati per legem, *peccatum est moruum*, h.e. non sentitur ad convictionem & elenchum usque. *Rom. VII, 8.* Legi hoc tribuitur, non Evangelio, sicut & *versu 13.* eiusdem Cap. non de Evangelio, sed de lege dicitur: *E. quod bonum est, mihi factum est mortiferum & Absit.* Sed peccatum, ut appareret peccatum per bonum in se (h.e. legem) mortem mihi operans, & καρδιαν τηρεῖσθαι αμαρτωλος δια ιης επολωτην. Omnes igitur hi effectus, qui in pœnitentia & conversione peccatorum se exserunt, ab Evangelio secluduntur prorsus, legique contra tribuuntur. 7. Ipsi Apostoli ex lege, imo ex ipso Decalogo, probant officia Christianorum, & quidem ex gentibus quoque. *Rom. XIII, 8. seqq. Iac. II, 8. seqq.* ubi præterea lex vocatur *lex regia*, & secundum quosdam interpres nostros *lex quoque libertatis*; quod manifesto indicio est, vim illius normandi obligandique in N.T. non cessare, nec legem moralem tum temporis suisse abrogatam. Nec dici posset, ea ætate adhuc valuisse legem, & per τυρκαλαβασι, hanc formam docendi obtinuisse. Quisquis eo se vellet recipere, manifeste falleretur, iam enim tunc adfuit

adfuit consummata Christi exaltatio, missio Spiritus S. cum suis  
 charis inatibus N.T. dignis, plenum deniq; Evangelium: neq; postea  
 aliquid ultra novi vel perfectioris accessit Evangelii, nisi totius  
 N. T. atque omnia testimonia Apostolica ex illo prætextu veli-  
 mus nobis facere incerta, vel plane inutilia. Illud quoque ac-  
 cedit, methodum legis minus profuisse, in ordine ad fidem  
 I. C. & Evangelium eius, *Iudeis* illius temporis, quam ipsis  
 gentibus, unde potius concludimus, maiores adfuisse causas im-  
 mediate ducendi Iudeos ad Christum, quam ipsos gentiles, quo-  
 niam eorum ideae & præiudicia de lege cum rituali, tum morali,  
 quibus gentiles carebant, perpetuum fidei & salutis eorum fue-  
 runt obstaculum. Fingitur igitur hactenus ille condescensus  
 temporarius. 8. Deus est *Legislator* noster in N. quoque Testa-  
 mento. *Iac. IV, 12.* Occurrit ibi *fratrum obretestatio* & damnatio  
 iniusta. Hanc primo reprehendit *Apostolus*, quia, qui hoc fecerit,  
*damnet ipsam legem*, (qua ei id factum prohibuit), porro *iudicem* se  
 faciat *legis*, non *observatorem* (quod tamen illius officium est, non  
 prius) deinde involet hoc ipso in iura veri & unici *Legislatoris*  
 (sc. Dei) qui *solan posse servare* & *perdere*. Quodsi igitur Deus  
 & Christianorum Legislator est, quem ipsi etiam Christiani hoc  
 nomine reverentur, qui legem ipsis datum vult reverenter ha-  
 berri, qui his denique rationibus eos ad accuratum excitat obse-  
 quium, & inobedientiam severe punit: dici certe non potest,  
 legem huius Legislatoris apud Christianos & in N. T. quoad vim  
 obligandi, & terrendi quoque, esse abrogatam, Deumque per  
 solum Evangelium cum ipsis agere, & apud eos præstare velle.  
 Expositionem alteram nonnullorum de *lege Christi*, & *legislatore*  
*Christo*, item de *obtestatione specialissime* intellecta propter Ze-  
 lotypiam Christianorum ex Iudeis contra Christianos ex genti-  
 bus, hic plane dimittimus, quia nec dissentientibus placet, quod  
 sciām. 9. Etiam illud argumentum non male hoc loco adhibe-  
 tur, quod ne in *statu* quidem *Paradisiaco* lex omnis defecerit.  
 De interdicto *arboris scientiae boni & mali*, per legem expressam,  
 res certa est. Alias nullas leges, etiam externas & vivæ vocis,  
 ipsos accepisse a Creatore tam familiariter cum ipsis conversante,  
 nulla ratione credibile est. Sed neclex illa caruit coniuncta veri  
 nominis gratia, non quidem medicinali, gratia tamen Creato-  
 ris



ris & Patris cœlestis, ut vere dici possit hoc sensu, legem & Evangelium una fuisse apud Protoplastos in statu Paradisiaco. Quam primum autem illi facti sunt peccatores, cum ipsis deinceps actum est primo legaliter, postea Evangelice, ut vel primo hoc Exemplo ostenderetur, quomodo peccatores tractari velit Deus, imo ipse Filius Dei, qui tunc Protoplastis salutis ipsorum & restitutionis gratia apparuit. Multo igitur magis conveniebat utrumque coniungere apud peccatores quosvis post lapsum, sicut & revera in omni ea artate semper fuerunt coniunctissima, suamque vim & efficaciam exseruerunt ante & post statum gratiae. 10. Porro, si elogium illud legis moralis verum est, quo *Paulus eam ornat, esse sc. sanctam, & mandatum eius sanctum, iustum, & bonum. Rom. VII, 12.* nec minus, *bonam esse legem, si quis ea regnus utatur, h. e. utatur, ut naturæ & scopo legis convenit.* 1 *Tim. I, 8.* omnino inde consequitur, legem hoc sensu non esse abrogatam, sed semper esse & manere usum eius legitimum, apud Christianos quoque, qui certe non debent existimare, se id, quod sanctum, iustum & bonum est, supergressos esse, maxime, dum statuit *Apostolus*, posse *regnus ea uti Christianos h. e. legitimate, ac in ordine divino.* Quid ergo opus est, hæc secum invicem collidere, & pro repugnantibus habere in N. T? 11. Fatentur *dissentientes*, posse methodum legalem recte adhiberi in quibusdam casibus, neque negant, dari in ipsis S. literis huius ordinis exempla; cur vero non in omnibus idem valeat ex analogia generali? E. ad minimum id verum non est, quod lex & methodus legalis sit abrogata, quod nihil proficit ex natura sua in N. T. quod eam usurpare sit idem, atque acropolin religionis revertere. Si *Stephanus e. g. Act. VII* hac methodo legali usus est, cur non liceat illum innocentem imitari in simili casu? Imo unde prebabitur, ipsum usurpassé methodum in incipitis convertendisque peccatoribus sui temporis ab *Apostolorum* ordinaria methodo diversam? Si vel vera esset hæc diversitas, cum vera non sit, non ex abrogatione legis moralis in N. T. ea esset repetenda, sed ex longe aliis rationibus. Hæc non facile possunt conciliari. 12. Omne id, quod *aviles eti τη γνωστη διδασκαλια 1 Tim. I, 10.* refertur inter ea, quibus lex *zela*. Hinc probari potest, quod lex illa quoque peccata damnet

net & redarguat, quæ sunt contra Evangelium Christi, consequenter utrumque apud Christianos coniunctum esse debeat in suo ministerio. Si *Antinomice* hic docere voluisset *Paulus*, solius *Evangelii* mentionem facere debuisset, non legis simul. Eo diligentius hoc notandum est, quoniam alias ex hoc loco probare solent, damnare peccata, *Evangelii* esse officium. 13. Sine lege non potest ostendi, nos esse peccatores. Patet id primo ex definitione peccati, non tam ex Philosophia, vel lege Mosis, desumpta, quam ex ipsis N. T. tabulis, cum i *Iob.* III, 4. dicitur: *πας ο ποιων την αμαρτίαν και ιν αρωματα ποιει. και η αμαρτία εστιν η αρωματα;* deinde ex memorabili *Pauli* sententia: *ubi nulla est lex, ibi nulla est transgressio. Rom. IV, 15.* Hæc posteriora autem verba duplice sensu vera sunt: 1. Ubi nulla est lex cuiuscunque ordinis, vera tamen, ibi locum non haber aliquid peccatum, quia peccatum est legis transgressio. 2. ubi nulla est lex, ibi peccatum non fit manifestum, non detegitur, non evincitur. Utroque sensu *Rom. VII. varia*, eaque longe gravissima, admonuit *Apostolus*. 14. Dictum quidem est in contrarium, quod de peccatorum statu omnium tutissime fortissimeque ex eo convincamur, quia Christus pro peccatis nostris passus & mortuus est. Semper vero monuerunt nostrates Theologi, verum hoc esse, sed recte expositum ne hoc quidem sine lege, aut respectu passionis & mortis Christi legali, concipi posse: nisi enim per transgressionem legis homines facti essent peccatores, nisi qua peccatores maledictioni legis facti essent obnoxii, nisi sciremus, Christum Dominum vice peccatorum legi se subiecisse, ut nos a maledictione legis liberaret, nesciremus, nos tam graves esse peccatores, & peccatum rem tantam esse, ut adeo nonnisi per hoc medium ad Christum & Evangelium debita locum inveniat preparatio. Hoc sensu & ordine omnes Theologi *Lutherani* ad convincendos & excitandos peccatores uti solent argumentis ex passione & morte petitis, ne institutione quidem catechetica excepta. 15. Quomodo a se impetrare possint nonnulli, ut credant in N. T. in tractandis duendisque conscientiis hominum viam præceptorum specialium, sive hortantium, sive dehortantium, viam officiorum obligantium non esse adhibendam, vix potest intelligi; coguntur enim



vel improbare, vel pro imperfecta habere, totam formam docendi totius *Scripturae*, imo vero ipsius *Domini*, & *Apostolorum* eius, utpote quæ plena est huiusmodi præceptis, hortationibus & dehortationibus, cum generalibus, tum specialibus, in vetere & novo Testamento, in quibus utique quoad hunc modum docendi nulla est differentia. 16. Longe adhuc (si comparative loquamur) probabilius disputant, qui abrogata lege Mosis, qua Mosis, doctrinam Evangelii in duas partes, legem sc. & Evangelium dispescunt: hi enim reipsa agnoscunt, Christianos veram aliquam legem habere una cum Evangelio: Illi vero, qui solum in N. T. admittunt Evangelium, exclusa & Mosis, & Christi lege *proprie* dicta, coguntur affectate docere de Evangelio, & multa eidem tribuere, quæ illi revera non convenient. 17. Vere dici potest, quod lex apud malos & bonos suos usus habeat. Peccatores docet, convincit, sensum peccati, reverentiam erga Deum &c. excitat, nec tamen absque omni concursu motivorum Evangeliorum, cum in praxi hæc non ita separata sint apud peccatorem, uti distingui solent in theoria & ordine Systematico. Nec dici debet, propterea conversis plane non opus esse lege, quia sunt in gratia: His enim prodest contra ignorantiam sui officii: contra languorem carnis: contra abusum Evangelii: contra tentationes ipsum honorum in specialibus dubiis: contra Scepticismos & Libertinismos carnis & mundi circa virtutes & vitia: suum quoque ad alios confert convincendos. Alia suo ex sinu ad eundem effectum promovendum suppeditat Evangelium, sed absque præiudicio & exclusione eius, quod ad officium legis pertinet. 18. Ipsi etiam *Antinomi* agnoscere se professi sunt, quod *vetus homo* sit obiectum legis competens. Atqui ne apud renatos quidem *vetus homo* statim deponitur, nisi perfectismus quidam non statuatur solum, sed etiam a prima regeneratione adesse credatur, quod in nostris saltet Ecclesiis non docetur. 19. Quo fine etiam Scripturam, qualem reipsa habemus, Ecclesia dedisset Deus, nisi illa præter doctrinas fidei morum esset regula, h. e. lex externa simul? Nonne hoc *Fanaticorum* est argumentum, Scripturam tantisper locum habere, donec propter Spiritum & verbum

verbum inhabitans serperastro illo opus non sit amplius? 20.  
 Prorsus necesse non est, hæc duo sibi invicem opponere,  
 quod sanctificationis nostra exercitium sit gratia & beneficium,  
 & quod habeat sua officia. Ultrumque verum est. Cum filius  
 obsequitur Patri, ex filiali animo id prestat, ac de eo sibi  
 gratulatur. Quis vero dubitet, esse hoc simul illius officium,  
 ad quod lege sui status est obligatus? Sic neque inter Deum  
 & spirituales eius liberos aliter se res habet. Quod ex spi-  
 ritu adoptionis lubens Deo obedit filius Dei, est ex Evangelio:  
 quod hoc sit ipsis officium, ex lege est, quæ etiam filios  
 obligat. Denique 21. tolerabilius utique fuisset, si, rei sum-  
 ma utrinque servata, ad formam quandam docendi & varie-  
 tatem tropi paedias, uti loqui amant, totus dissensus partium  
 recidisset. Ad logomachiam tunc accedere potuisset hæc con-  
 troversia, utut non plane innocentem; sed communem heic,  
 eamque innocentissimam, de lege & Evangelio doctrinam supra  
 allegatis onerare cōviciis, & antiquas occasiones *Antinomii*  
 & *Pseudo-Evangelicisni* sine ulla necessitate & cum turbatio-  
 ne Ecclesiarum renovare, æquum certe & laudabile non est.  
 Plura iam hic non addimus.

## §. 4.

Supereft iam, ut *Dissentientium* quoque rationes adducan-  
 tur, quibus suam sententiam supra expositam & olim confir-  
 mare sunt soliti, & adhuc hodie confirmant, additis ubique  
 per compendium responsionibus necessariis. Notum autem est  
 I. provocari præcipua quadam ratione ad Pauli Apostoli sen-  
 tentiam, quam i Tim. I, 9. his verbis conceptam legimus:  
 Δικαιω ροπος ο κειται, αροποιος δε και αυτονομοιος &c. *Iusto lex non*  
*est posita, sed legis contemtoribus, & qui subiici nesciunt &c.* Adeo  
 clara hæc verba videri possunt, ut eadem legere sufficiat ad  
 probandum, quod lex iusto homini non sit necessaria: cumque  
 etiam deinceps v. 10. 11. adiiciat Apostolus, & si quid aliud sanæ  
 doctrine oppositum est secundum Evangelium gloriae beati Dei sibi con-  
 creditum, inde quoque patere videtur, quod Evangelium redar-  
 guat omne id, quod in νγαστρι διδασκαλia æriliens, non lex.

Quam-



Quamvis autem specie non careat hæc obiectio, non tamen eam mentem esse *Apostolo* in his verbis, ex accuratiore eorum scrutinio innotescat. 1. Veritas, qua hic docetur, certi temporis doctrina non est. Semper verum fuit, iusto legem non esse positam. Alienum est, hic de abrogatione legis in N. T. atque inde fluente V. & N. T. discrimine cogitare. 2. Attendendum quoque, cum quali hominum genere *Apostolo* heic fuerit negotium? Loquitur de Christianis ex Iudæis, sed prætextu legis honorandæ tuendæque verum eius sensum pervertentibus ac corruptientibus, ipsoque etiam opere eam transgredientibus, veros autem Christianos & fideles sibi hac parte dissimiles tanquam *avos* & violatores legis calumniantibus. His proxime opponit, legem quidem esse bonam, sed recte ea uteribus: eos vero recte illa uti, qui veros fines legis & sciunt, & observant. Hos probe scire, se a lege non cunniari, ipsos potius, qui legem iactant, & violent tamen multis modis, elenchο & damnationi subiacere. Nihil hoc pertinet ad obligacionem legis apud iustos abrogatam. 3. Hoc saltem certum est, apud *Apostolum*, *avos* & *avtolauces* lege opus habere, & per eam de malo suo statu convinci & redargui, quamvis professione externa sint Christiani. 4. Supra iam annotavimus, ex hoc loco patere, quod lex illa quoque reprehendat & damnet, quæ *salutari secundum Evangelium doctrinae sunt contraria*, atque adeo necesse non sit officia legis & Evangelii confundere, quod faciunt illi, qui, remota ac seposita lege, soli Evangelio censuram peccatorum ad seopum conversionis relinquunt. Sicque sibi semper concordat *Apostolus*, & doctrinæ sue, quod *ex lege sit agnitus peccati &c.* ut supra dictum est. II. Obstare communi sententiæ creditur, quod iustificati, sive illi, qui sunt in statu gratiæ, dicantur *non amplius esse sub lege, sed sub gratia*. *Rom. VI, 14. 15.* quod *adversus eos, qui fructus ferunt spiritus, lex non sit*. *Gal. V, 23.* legem nostrum fuisse paedagogum, postquam vero fides *venit*, nos *sub paedagogo non esse amplius*. *Gal. III, 24. 25.* nos non esse amplius *sub lege, dum gubernamus a Spiritu*. *Gal. V, 18.* Enimvero ne hæc quidem testimonia Scripturae obligationem legis in N. T. tollunt. *Rom. VI, 14.* reddit rationem *Apostolus*, cur peccatum fide-

\* \* \*

fidelibus non dominetur , dicendo , quia non sunt sub lege ,  
 sed sub gratia . Si sensus esset : peccatum fidelibus non domi-  
 natur , quia lex nos non amplius obligat , nemo certe dubi-  
 taret fieri non posse , ut *Apostolus* talem atiologiam adhibeat :  
 quodsi vero sensus sit , fideles iam a maledictione legis liberos  
 ad gratiam , a sterilitate legis , si sola maneat , ad vires & do-  
 minium gratiae pervenisse , facile est intelligere , cur *Apostolus*  
 illam rationem attulerit . Idem ad *Gal. V.* 18. recte appli-  
 catur . Bene se habet , quod ibidem v. 23. docet *Apostolus* ,  
*adversus eos legem non esse* , qui fructus ferunt *Spiritus* v. 22. re-  
 censitos . Sunt autem diversissima : legem hisce non esse ad-  
 versariam , ut est illis , qui *opera carnis* v. 19. seqq. proposita  
 perpetrant , h. e. eos non accusare & damnare ; & alterum  
 illud : Legem in N. T. neminem obligare . Imo vero , quia  
 legis officium constans est irregenitos & malos acculare &  
 damnare , ex sententia *Apostoli* , inde merito evincitur , non  
*Evangelii* hoc munus esse in ipso quoque N. T. sed legis .  
 Quod vero paedagogiam legis ad Christum attinet , *Gal. III.* 24. 25.  
 quæ cessavit , postquam fides , h. e. Christus ipse venit , de  
 lege rituum hic potius cogitandum , quam de lege morali .  
 Est quidem & haec paedagogus ad Christum , neque id cum  
 dissentientibus negandum esse censemus . Sed ea veritas non  
 est huius loci . Si ullibi , in hisce textibus certe universis  
 recte exponendis dilucidandisque , necesse est probe attendere ,  
 quæ §. 2. ad præparandum rite statum controversia notavi-  
 mus . III. obicitur contra communem de lege & Evangelio  
 doctrinam , quod methodus Christi & Apostolorum fuerit ,  
 non ad legem , sed ad Evangelium , peccatores immediate  
 deducere . Sic iussu Domini Ananiam egisse cum Saulo . *Act. IX.*  
 10. seqq. Sic in concione Petri *Act. II.* 14. seqq. ne verbulum  
 quidem legis , sed omnia de Christo & Evangelio , extare : In  
 epistolis maxime Paulinis & Iohannis non legalem illam metho-  
 dum , sed mere Evangelicam adhiberi , ipsumque Paulum se-  
 cundum i *Cor. II.* 2. nihil scripsi & prædicasse *inter Corinthios* ,  
*nisi Iesum Christum eumque crucifixum* . Hanc igitur veram & ge-  
 nuinam esse Christianorum methodum animas tractandi . Quam

C

parum



parum autem solida in sensu hic controverso sit haec obiectio, a non uno Ecclesiae nostrae Theologo non ita pridem data opera est demonstratum, DD. maxime Baungartenio & Bennero in libris notissimis. Vere dici potest, nihil minus extrare in ll. cc. quam quod inde a Dissentientibus deducendum erat. Ut vero responsiones illas b. l. repetamus, non existimamus necesse esse. Hoc unum nunc dicimus, non esse eam methodum invidiose dicendam legalem in sensu vitiolo, quæ coniungitur cum Evangelio in ordine divino, sed illam tantum esse methodum *Pseudolegalem*, quæ manet sola, quæ legem male applicat ad usum ipsi non competentes e. g. ad iustificationem &c. quæ denique Evangelium & Evangelica motiva plane neglit. De tali vero methodo quæstio non est, neque in doctrina Ecclesiae nostra illa defenditur. *Xapis vous* homines ad Christum deduci debent, si sermo sit de eorum *iustificatione per Christum* obtainenda, ut nihil legis & operis ad hanc impetrandam per modum causæ & meriti concurrere censematur. Id extra controversiam in nostris Ecclesiis positum est. Sed hoc non est *Xapis vous* animas ad Christum ducere legitime, quando in humiliandis, preparandisque peccatoribus officium legis negligitur, & functiones Evangelii substituuntur in praetudicium legis. Unum est faciendum: & alterum haud negligendum. Uno verbo: *Xapis vous* pœnitentes & credentes iustificantur: sed non *Xapis vous*, aut sine lege, peccatores convertuntur. *IV.* Nihil acrius urgetur in hac causa, quam quod omnis efficacia conversionis non sit ex lege, sed ex *Evangelio*: quod ex formula loquendi ipsorum *Labrorum Symbolicorum* nostræ Ecclesiae *Evangelium sit concio penitentia*: quod consideratio sanguinis & mortis Christi, in quantum ille pro peccatis nostris effusus, haec suscepit & tolerata est, omnium potentissime & vividissime ad peccati cognitionem atque pœnitentiam deducat, ut alio & minus efficaci medio opus non sit: quod is tantum ius habeat ad legem recurrendi, qui comprehendit ipso opere, crucem & sanguinem Christi sibi non amplius sufficere, quod in æternum non contingat. Alia, quæ eodem instituto adducuntur, pro solutis pariter haberi potest.

poterunt, si ad ista solide possit responderi. Dicamus iam aliquid solutionis loco de singulis. Nullam efficaciam in legis ministerio esse quoad convertendos peccatores, nollem ego dicere tam crude & nude. Contrarium emphaticis verbis docet *Paulus* 2 Cor. III. ubi distinguit quidem inter ministerium literæ & Spiritus, utrique tamen suam tribuit in suo genere efficaciam & gloriam. Alia est efficacia iustificandi & salvandi: alia est in præparando, terrendo, humiliando efficacia. Priorum nemo legi tribuit: postremam nemo abnegat legi sine manifesto præjudicio, & ferre cogitur, si ipsi dicatur in faciem, eum, quid sit lex, & quænam eius efficacia? nondum, ut par est, & Scriptura cum experientia docet, perspectum habere. Liticula illa antiquior de Evangelio penitentia concione, & peccatum redarguente, qualiscunque fuerit, a præsente lite alienissima est. De huiusmodi generali exclusione legis, cui ex ista formula prætextus queritur, nemo tum temporis cogitavit. Sollennis tunc erat exceptio, Evangelium in illis locis in sensu latiore pro tota doctrina Christi vel Apostolorum accipi, ut legem & Evangelium comprehendat. Quodsi etiam nonnulliistorum Autorum de Evangelio proprie dicto postea hanc formulam sunt interpretati, statim compererunt ex apertis contradictionibus ceterorum Theologorum, hanc non esse communem totius Ecclesiæ nostræ sententiam. Iniustum igitur factum est, cum ii, qui ceteroquin de consensu Theologorum nostrorum, & maximæ partis LL. nostrorum SS. parum solliciti sunt, particularem huiusmodi formulam, eamque maxime æquivocam, inde excerptum, & contra mentem Autorum suis ideis accommodant. Deinde tota haec controversia in hoc uno versata est, an & quomodo lex ipsam etiam incredulitatem, aliosque actus contra Evangelium, possit redarguere, cum tamen de illis nihil noverit, ipsumque saltem Evangelium sit eorum obiectum? de ceteris peccatis a legis censura eximendis nulla in nostris Ecclesiis fuit disputatio. In respectu illo particulari nonnulli dicendum censuerunt, istam speciem peccatorum censere & indicare Evangelium: alii contra maluerunt agnoscere leges Evangelicas: plerique Theologorum existimabant,



hant, sufficere ad hunc scopum legem Evangelio illustratam, quod alii commodius per leges circa Evangelium exprimi posse crediderunt. Sed nulli horum ideo totum officium elemetum circa peccata & peccatores legi abjudicandum, Evangelio vero tribuendum censuerunt. Abusus igitur est & excessus in illa provocatione ad LL. Symbolicos. Quousque ex passione & morte Christi addiscere possit peccator magnitudinem peccati, & quæ sunt reliqua? Id nostrates Theologi pridem eo exposuerunt sensu, qui nec veritati quidquam detrahit, nec locum facit superflua legis & Evangelii collisioni, cui hucusque fuit constanter contradictum. Respondemus, inquit, Christi passionem & mortem spectari posse duplicer. 1. ut speculum iustitie, severitatis, & ire divina erga peccatores. 2. ut speculum misericordiae DEI erga miserum genus humanum, qui noluit nos periire, & propterea misit Filium suum. Priori respectu considerata Christi passio & mors omnino dicenda est realis concio pænitentiae: Verum bæ proprie ad legem pertinet, non ad Evangelium. Posteriore respectu Christi passio & mors pertinent ad Evangelium. Conf. superiorius dicta §. 3. n. 14. Denique cum affectu excipitur, tunc demum ab Evangelio ad legem esse recurrendum, quando *deprehensi sumus*, illud suis effectibus non sufficere. Sed frustra hoc dicitur. Nihil decedit perfectioni Evangelii, dum id præstet, ad quod divinitus est destinatum, etiam si alienum opus non faciat; facere autem, & facere ordinarie & directe, ut legi alias facere convenit, dictum quidem hucusque est, sed non probatum. V. prætenditur, legem ne ad usum quidem pædeuticum sufficere. Si necesse esset omnia describere, quæ verum Sanctum efficiunt, integra folia five volumina satis non essent: & si ducenties mille res sciremus, & una saltu occurveret in ducendis animabus, quam in copiosissimis etiam libris hand liceret inventire, totus labor frustra esset. Eninvero non amplius hoc nostrum est negotium. Tali corpore legum opus non habemus, postquam Salvator omnia brevibus principiis generalibus complexus est. &c. Quis vero unquam ex Nostris docuit, huiusmodi lege voluminosa nos indigere, si aliquem usum nobis præstare lex debeat? huius autem defectu totam legem nobis esse inutiliem? Eodem iure dici posset,

set, usū necessario apud nos sacram destitui *Scripturam* ad nostram institutionem, quia non omnia specialissima in se continent, quæ quemvis in individuo hominem concernunt. Utique si statueremus legem sine Evangelio, literam sine Spiritu explicante & applicante ad casus quoscunque necessarios, speciem aliquam ista haberet obiectio. Talem vero legem nemo somniat. Imo vero ideo coniuncta sunt lex & Evangelium, litera & Spiritus, principia generalia cum fontibus applicationis specialis, ut aditus nobis pateat ad ea, quibus nec sola lex, nec solum Evangelium sufficeret. Nec se impediunt invicem lex exterius promulgata, & lex cordi inscripta. Illa lex est, hæc lex est, sed cum Evangelio, & quidem in divino ordine coniuncta, utraque in N. T. divinis suis usibus destinata.

## §. 5.

*VII.* Dicitur, magnum quid se praestitisse, Theologos existimare, quando huic sententia & formæ docendi Antinomismum imputant, eosque, qui sic sentiunt, Antinomos invidiæ causa possunt appellare: Sed rem tanti non esse, controversias de hac re primas exercitiū causa, imo in Spiritu eridos, fuisse agitatas & decisas, neminem obligari ad captandos eorum gryllos, qui hac occasione sententiam mutarunt suam. Huiusmodi sive responses, sive obiectiones, in frigidum huius dogmatis & momentorum eius contemptum desinunt. Quo iure, quave iniuria? operæ certe premium est candide & cordate examinare. Quod *Antinomi* di&iacute; sunt, qui legem moralem ipsam in N. T. abrogatam esse docuerunt, in eo nihil mali vel iniusti est, nomen enim istud rei responderet. Quod res mala sit *Antinomismus*? de eo nostri Maiores nunquam dubitarunt, hocque nomine istud dogma in suis confessionibus scriptisque publicis semper atro carbone notarunt. Vix ullæ etiam rationes ad rem istam tuendam afferri possunt adhuc hodie, quæ non ab antiquioribus Antinomis allatae, atque a Theologis pridem refutatae fuerint. De autoribus primis illius formæ docendi honorifice sentire constans verat historia. *Primæ formulæ* hoc scopo editæ tam cru-

C 3


da



dæ erant & informes, ut earum merito pudeat. *Fructus excitatæ illius controversiæ fuerunt lites non necessariæ, falsa Evangelii explicatio, reales Pseudo-Evangelicismi, calumniae adversariorum in totam Ecclesiam effusæ, indiscreta exaggeratio nonnullarum veritatum per excessus accessorios, confusio formarum docendi, etiam apud eos, qui non ad ultimum usque gradum Antinomismi procecerunt.* Hæc omnia ostendи possunt, ut opinor, ex Historia illorum temporum. Quicquid verum est in causa, in communi doctrina poterat retineri: quicquid falsum, commode poterat in ea evitari. Longe igitur hic typus doctrinæ alteri preferendus est *Antinomistico*, sive in vetere forma, sive in nova. *VII.* obiectum quoque legitimus, eo prudenter, & cum maiore grano salis legendam esse verbosam banc de Antinomismo fabulam, quia alias vix appetet, quonodo religiosus Pastor Lutheranus in posterum possit serio pro hereticis habere *Antinomos*, nisi velit in *Pietismum* delabi. Vidimus hanc obiectiōnem iam alibi refutatam. Eam vero mirari quis possit, qui considerat, fuisse *Theologos nostræ ætatis*, qui de *Antinomia nota* scripserunt *Dissertationes integras*, in quibus sic dictos *Pietistas* propter doctrinam de penitentia Evangelica & similibus in classem *Antinomorum* retulerunt, iudicio plane contrario & valde dissimili, sed aequo falso & lubrico, quam est alterum, quod refellimus, præterquam quod hoc argumenti genus ex aliis quoque rationibus gravioribus omitti debuerit, sapit enim aculeum catanthropisticum, qui non omnibus probatur. *VIII.* additur maxime dilemma gravissimum, dum obiicitur, si quis nondum sit in gratia, ei legem nihil prodesse: si sit in gratia, eum lege non ultra amplius opus habere. Nemini autem vitio verti potest, si credit respondeatque, utrumque falsum esse, & meram petitionem principii. Non fallitur utique, qui dixerit, haud rectum aut ~~reum~~ usum legis per illius abusum impedire potius posse conversionem peccatoris, quam promovere, qua de re solidi Theologi practici multa monere solent & ardua. Tunc vero vitium non in lege est, sed in imperitia & hypocrisi abundantis, legi ipsi nequaquam imputanda. Aequo periculose, imo longe periculosius, abuti possunt homines Evangelio & gratia

DEL

DEI. Enimvero hic non de abusa, sed usu legis recto ac divinitus  
præscripto, nobis sermo est. Hunc nihil prodesse peccatoribus in  
eo ordine, quem Theologi heic docere solent, & Scriptura, &  
experientia refutat. Quo sensu autem verum aut falsum sit,  
eos, qui in gratia sunt, lege non indigere, ab iisdem pariter  
est ostensum, quibus solide est respondendum, priusquam credi  
possit, huiusmodi mutationem doctrinæ nostræ de lege & Evan-  
gelio adeo necessariam esse & utilem. IX. obiicitur, methodo-  
num legalem ordinariam acropolim religionis Evangelicæ per-  
iculosisime subruere; esse ministros Mosis potius, quam Christi,  
qui eam commendant & adhibent: moliri aliquid & movere  
per istam methodum, sed ad Christum manuducere neminem  
posse: præpostere docere Theologos methodistas, quando Deum  
in operationibus gratiae certo ordini alligant, cum is potius  
agat pro libitu, siveque arbitrio, hucque etiam pertinere, quod  
de ordine legis & Evangelii sibi invicem apud peccatores succe-  
dendentium vulgo traditur., In his accusationibus maxima servis,  
non Mosis, sed Christi, qui in tractatione animarum secundum  
ordinem Verbi divini hucusque suum fecerunt officium, infer-  
tur iniuria, quam deinde per traditionem & antiphonam repe-  
tere, quasi merum certissimumque esset Evangelium, moris est.  
Si de imperitis hominibus agitur, in tractatione animarum, &  
in demagogia spirituali peccantibus, credibile est, longe plures  
esse inter nos, qui per falsam Evangelii explicationem & appli-  
cationem regno Christi & saluti animarum nocuerint haecenus,  
quam per viam legalem, plures esse, qui periculoſe festinarunt  
in methodo Evangelica putatia apud homines avide, sed præ-  
cipitate, solatia & spem gratiae anhelantes, quam qui per rigo-  
res legales male directos ab Evangelio & Christo eos abstinuerunt.  
Haec in genere facile expediuntur. Sed de exemplis spe-  
cialibus Deus aliquando iudicabit. De cetero metuendum est,  
non esse genuinam illam conversionem & iustificationem, quæ  
usque adeo ferre & sustinere non potest doctrinam de lege &  
Evangelio, & amica utriusque in sancto isto negotio conspira-  
vit. Utinam vera puritas Evangelii impedimenta tam feliciter  
effica-



efficaciterque removerentur, quam facile sepe est, imaginaria  
 eius rei impedimenta excogitare & exaggerare. Exempla sunt  
 odiosa, nec tamen falsa. Operationes gratiae divinae in specu-  
 latione potius, quam secundum ordinem practicum, disponere  
 & collocare, si quis audeat temere, fieri utique potest, ut is a ve-  
 ro ordine diyino in praxi non parum aberret. Sed & ex altera  
 parte cavendum est, ne hoc praetextu Chaos Deo indignum fin-  
 gamus in viis illius, & præposterationes excogitemus, quas nec  
 divina revelatio, nec ipsius rei natura patitur. Felix est in do-  
 cendo & discendo, qui utrumque extreum, ut alibi, ita &  
 in hoc rerum genere vitare didicit. Denique X. de conscienc-  
 tia idem dicitur, quod de lege: sc. nec conscientiam, nec legem  
 in N. T. & apud genuinos Christianos locum habere. Summa  
 est, nos eam non amplius habere conscientiam, quæ vel accusat, vel ab-  
 solvit, & alias quoque in rectam, falsam, dubiam &c. dividit. Illam ho-  
 die prorsus ignorari. Quin potius esse aliquod in nobis, quod testimonium  
 Dei, impulsus Spiritus &c. vocatur: hoc possidere eum, qui in hominem Dei  
 unctus est &c. Nos vero censemus, paradoxam esse hanc reformatio-  
 nem doctrinæ de conscientia, mereque precariam, quæ eadem facili-  
 tate reiicitur, qua affirmatur. Longe reius, disius, purius, or-  
 dinatus hucusque nostras Ecclesias & Scholas docuisse, facile pro-  
 bari potest. Unum hoc loco notamus. Si id, quod conscientia voca-  
 tur in S. literis, non amplius locum habet, cur igitur Apostoli in sua  
 docendi forma tam sepe loquuntur de conscientia purgata a mortuis  
 operibus ad servandum Deo vivo. Hebr. IX, 14. X, 22. de conscientia bona  
 sub titulo οὐειδῆς εἰς καληγενής. Act. XXIII, 1. 1 Tim. I, 19.  
 Hebr. XIII, 18. de conscientia inoffensa. Act. XXIV, 6. de conscientia  
 pura. 1 Tim. I, 5. III, 9. 2 Tim. I, 3. de επειδηγούσῃ οὐειδητως αγαθης in  
 Baptismo. 1 Petr. III, 21? Conf. v. 16. Sive titulum & nomen, sive rem,  
 conscientia consideremus, utrumq; divina & Apostolica Scriptura  
 retinuit, quam procul dubio hic sequi tutissimum est. Quæ Rom. III,  
 14. 15. de cogitationibus sese mutuo accusantibus & excusantibus & οὐ-  
 παθεῖσιν in συειδηται docet Apostolus, proxime quidem traduntur de  
 gentibus pro scopo illius, sed id suisse rem gentilibus propriam, ne-  
 que ad Christianos amplius pertinere, is nequaquam dixit, neque id  
 ipsius scopus requisivit. Plura heic non addimus.

T A N T U M!


ad 14.


01 A 6501



86

P2





SUPERFLUA ET NOXIA  
FORMÆ DOCENDI  
*DE*  
**LEGE ET EVANGELIO**  
IN ECCLESIIS NOSTRIS  
USITATÆ MUTATIO,  
—  
*QUAM*  
DIVINA ADIUTRICE GRATIA,  
PRÆSIDE  
**CHRISTIANO EBERHARDO**  
**WEISMANNO,**

SS. THEOL. DOCT. ET PROFESS. P. O. ECCLES.  
TUBING. DECANO, ET DUCALIS SEMINARII  
THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,

*AD DIEM NOVEMBR. MDCCXLVI.*

*h. Ique destinatis*

PUBLICE EXAMINABIT

**M. CHRISTIANUS LUDOVIC. STEINHEIL,**  
Rupisvilla-Rochspoletanus.

SS. THEOL. STUD. IN ILLUST. STIP. THEOL.

*TUBINGÆ*

*Excudebat JOHANNES PHILIPPUS ERHARDUS.*